

sch im dñm tm̄ ex toto corde tuo.
ta et iā tua. rex om̄ibz nraibz tuibz
tm̄. Ne tua: i proximū tuum
om̄ Dicit q̄b illi. Recete respō disc
fac ruiues. Ille autē uolēs uista
eū in: dū ad ih̄m. Et quis est
vniuers. Suspiciens autē ih̄c
Oerno quidam descendebat ab
in iheri ycho: rimicidit m latro
u etiam despoliauerit eum: et
im positis abierunt semiuuo
dū idit aut ut sacerdos quidā
bēt eadem uia et uiso illo p̄teri
Sicut itē nleunta cum eēt secus
lū dēt eum p̄triam sūt. Samia
m̄s autē quidā mer fatiens uenit
eum. audiens eum mīa motus ē.



Graß 397

St. Grace. in Ost. W. 103.

II 2a 68

M. ANTONII i⁷⁰
M V R E T I
I. C. AC CIVIS
ROMANI
ORATIO

mandatu S. P. Q. R. habita in re-
ditu ad urbem.

M. ANTONII CO-
LVMNÆ POST TVRCAS
nauali prælio uictos.

HABITA. EST. IN. CAPI.
TOLIO. IDIB. DECEMB.
M. D. LXXI.

ROSTOCHII
RECVSA M. D. LXXII.



JOANNIS FRAN-
cisci Ferrarij Ciuis R. In M.
Antoninm Muretum ciui-
tate donatum.

Hoste triumphato, spolijs orientis onustus,
Dum repetis patrios alte Columna lares:
Pro populo meritas superis Muretus agebat
Grates, facundo maximus ore ruens.
Admirata uiri diuinum Roma leporem?
Prò: fluit eloquio Tullius alter? ait.
Comprobat hic Marci re nomen: uerba ego rursum
Prisca bibo: prisco audio leta sonos.
Nec mora: Romanis adscrbit ciuibus illum,
Et gremio gaudens confouet ipsa suo.
Hunc decorat titulis, ornantem ornatus ut ornat;
Et Latium prisco floreat eloquio.



Tulla post hominū
memoriam parta Victo-
ria est, in qua & admirab-
ilis se diuini numinis po-
tentia ostenderit: & quid
fortium virorum virtus,
quid singularis ductorum
prudentia ualeat, cognitum ac declaratum
sit: in hac certe, quam superioribus diebus
imperatores ac milites nostri ex immanissimo
ac tæterrimo Christiani nominis hoste retule-
runt, ita hæc omnia patefacta sunt, ut nun-
quam maioribus aut illustrioribus argumentis
aut illustrata esse, aut in posterum illustrari
posse uideantur. Quare & immortali ac præ-
potenti Deo, huius tanti boni, aut aliorum
omnium, auctori, gratiæ, quantas maximas
animus noster capit, agendæ sunt: & fortis-
simis, ac clarissimis viris, qui periculum a no-
bis omnibus uitæ suæ periculo depulerunt,
qui barbaris in nos irruentibus iter corpo-
ribus suis occluserunt, qui pestem ac perniciem
quam illi uobis machinabantur, in ipsorum
capita conuerterunt, qui illorum temeritatem
consilio, furorem fortitudine, audaciam uirtu-
te superarunt, noui atq; in usitati honores pro

A 2

noua

noua ipsorum atq; inusitata uirtute tribuendi.
Quod enim tantum ac tam singulare honoris
genus reperiri aut excogitari potest, quod non
& aliis, qui egregiam in hoc bello reip. Christi-
anæ operam nauarunt, & tuæ in primis M.
ANTONI COLVMNA uirtuti rebusq; ge-
stis, & ab aliis Christianis populis, & præcipue
a Pop. R. debeatur? Cuius uniuersi quod sit
erga te studium, quæ uoluntas, neq; tibi un-
quam aut dubium, aut obscurum fuit: & ta-
men nuper apertissime cognoscere potuisti:
cum, tuo in urbem ingressu, tantus ad te om-
nium ætatum atq; ordinum concursus factus
est, tanta effusa omnis generis multitudo, ut
ipsi septem colles, ipsa urbis mœnia, si natura
pateretur, sedibus suis relictis, obuiam tibi pro-
dire cupere uiderentur. Quacunq; incesseras,
faustis acclamationibus omnia personabant:
omnes redundantem & foras erumpere gesti-
entem lætitiam ore, oculis, manibus indica-
bant: omnium in te uno figebatur obtutus:
omnes te, non ut unum ex principibus ciuita-
tis, sed ut firmissimam ac solidissimam Ro-
mani nominis ac dignitatis columnam intue-
bantur. Cælum ipsum manifesto fauit honori
tuo: cum quod aliquot dies antea, triste ac
nubilum fuerat, ingressuro te, ita derepente
nitere

Nitere cœpit, ut illa subita serenitas facile omnibus indicarit, honores qui tibi haberentur, etiam cœlestium iudicio comprobari. Nunc quoq; quanta hoc augustissimum templum frequentia hominum compleuerit uides: qui omnes eo animo huc conuenerunt, ut Christo IESV uictori & uictoriarum datori, ut beatissimæ uirgini, ut ceteris cœlitibus, quorum auxilio hanc uictoriam sine ulla dubitatione acceptam ferre debemus, tum propter suis ac fugatos hostes, tum propter te saluum ac sospitem in patriam reductum, rite ac pie, ut debent, gratias agant. Beatum te M. Antoni, propter cuius & abeuntis periculum & redemptoris salutem tempa complentur. Meminimus omnes, superioribus mensibus, te ad bellum profecto, quæ tota urbe fuerit trepidatio, quæ solicitude, qui pauor. Quamuis n. & duces delecti erant fortissimi ac sapientissimi, & ex toto propemodum orbe Christiano flos ipse nobilitatis conuenerat, & præcipua Italiae atq; huius urbis ornamenta ac columnina in exercitu uerabantur: tamen eo magis metuebantur uarij belloru & ancipites casus, quod si quid aut propter uim tempestatum, aut propter hostilium copiarum magnitudinem, aut quo alio eveniu grauius accidisset: nulla

A 3

reliqua

reliqua spes erat, ullum amplius ætate nostra
talem exercitum posse denuo comparari. Va-
gabatur autem toto mari infinita quædam la-
tronum multitudo nostro sanguine cruenta,
nostris spoliis onusta: qui & semper alias su-
opre ingenio feroce, & tum maxime propter
recentes uictorias spe atq; animis inflati, tan-
tos sibi spiritus, tantam arrogantiam sumpse-
rant, ut classem quidé nostram a se spiritu ipso
disflatum iri, ea uero disiecta, quasi ianua qua-
dam effracta ac reualsa, omnes sibi Christiano-
rum portus, omnes insulas, omnem oram ma-
ritimam apertam fore arbitrarentur. Augebat
timorem nostrum quidem anno superiori eas
Deus alienatæ à nobis propter peccata nostra
uoluntatis suæ significationes dederat, ut non
inuria trepidaremus, ne ille merito nobis ira-
tus, per hostes nominis sui à populo suo pœ-
nas repeteret decreuisset. Sed o cæca hominum
iudicia. o abstrusa & recondita dei consilia. o
bonitatem ac clementiam ipsius perpetuo præ-
dicandam. Vere dominus est qui uulnerat &
medetur: percutit & manus eius sanabunt: qui
mortificat & uiuificat? qui deducet ad inferos
& reducit. Pro paterna sua misericordia, casti-
gans castigauit nos: sed morti non tradidit
nos. Respexit ad lacrimas, ad ieiunia, ad
eleemo-

eleemosynas, ad preces ecclesiæ suæ: ad quæ
omnia PIVS. V. & nomine & re sanctissimus
Pontifex, toto illo tempore, alios omnes &
præcep to & exemplo suo incitabat. En senex
sanctissime & ueterum illorum pontificum
similime, scelerum ulti, iustitiæ cultor, ue-
teris disciplinæ restitutor, cui bono publico,
hac miseria ac turbulentis temporibus, ecclesi-
am suam gubernandam commisit deus: hic est
fructus lacrimarum atque obsecrationum tu-
arum: tui fletus pepererunt nobis hoc gaudiū,
tua quotidiana sacrificia hanc nobis a deo
victoriā impetrarunt Metis exultans, quod
lacrimans seminasti. Te nouo Moysē manus
in cælum tollente, nouos hic Iosue superabat
Amalechitas. Tu mentem in Deo, nostri milites
in barbarorum corporibus tela sigebant. Con-
firmabant illorum dexteras preces tuæ &
hostium gladiorum cuspidem retinendebant.
Itaque quanto plus nobis dedit deus quam pe-
tebamus? Nos timide uota faciebamus, ut
hostium classis, cum, aduentare nostram, au-
ditum esset, quam celerrime se ad suos recipe-
ret: quo post tot editas strages, timuisse tamen
& expectare ausa non esse nostrorum impe-
tum underetur. nam illud prope immodicum
uideatur optare, ut & congrederentur. & se

A 4

barbari

barbari, nostrorum uirtute cognita 'in fugam
darent. quod si ad efficiendam aliquam ima-
ginem speciemq; victoriæ , aliquot illorum
naues depresso, aliquot captæ, numerus ali-
quis captiuorum liberatus eslet: abunde om-
nes non expectationi modo, sed optatis quo-
que nostris satisfactum fore arbitrabamur. Ut
autem sine magna nostrorum clade, amplius
quadraginta hostium millia cæderentur: ut
decem & eo amplius millia caperentur: ut cen-
tum nonaginta quinque illorum triremes, ali-
aque complura nauigiorum genera in nostro-
rum potestatem venirent: ut plus quindecim
captiuorū nostrorum millia liberarentur: ut ex
tanta illorum multitudine uix unus perfidus
pirata, & unus item scuissimi prædonis Ari-
adeni filius fuga elaberetur, qui ad superbas
immanis illius tyranni aures acerbissimum
minimeq; ab ipso expestatum tantæ cladis
nuntium adferret, quis umquam nostrum,
non dicam sperare, sed prope modum optare
ausus est? Præcucurrit fortitudo vestra spes
nostras: quæq; nos ne frustra optaremus uere-
bamur, ea ut frustra hostis optaret, admirabili
dei beneficio & uestra singulari uirtute per-
fectum est. Iliud uero memorabile & animad-
uertendum neque fortuito accidisse, sed iu-
stissi-

iustissimo dei iudicio effectum esse credendum
est: quod qui duo ex illa impura fœdissimorū
mancipiorū colluvie maximas minas iactare,
qui uni ex omnib. Christianorum vires maxi-
me despicere soliti erant: ut etiam apud illum
stolidum ac furentem dominum suum ausi
essent gloriari, se centum triremibus, quicquid
usquam Christianorum esset, undiq; exterminati-
naturos: ii potissimum, cum ad manus uentū
est, ita subito perterre facti sunt, vt mare ipsum
angustum eis esse ad fugam videretur. O no-
næ Octobres quam faustam ac felicem nobis
posteriorisq; nostris vestri memoriam reliquistis.
Quis non eorum, qui prælio non interfuerunt,
ut sibi liceret spectasse quæ illo die gesta sunt,
annum unum de consequentis vitæ suæ spa-
tio, si fieri posset, ademptum velit. Solem ego
ipsum, ita viuam, in tam pulchro spectaculo,
vt Iosue olim aduersus Amorræos pugnante,
substiturum fuisse arbitror: nisi tanta fuisse
vincendi celeritas, vt qui nihil metuebant, id
vnum metuere viderentur, ne prius aduerso-
rasceret, quam omnes hostes aut cæsi, aut ca-
pti, aut fugati essent. Quænam igitur statuæ,
qui arcus, quæ columnæ, quæ trophea uobis
excitari poterunt, viri fortissimi, quæ, non di-
co paria esse meritis vestris, sed eorum partem

A 5 adumbrare

adumbrare aliquam possint? qui futuri sunt
vsq; eo diserti ac copiosi historiarum scripto-
res, qui, cum ad Naupacteam victoriam ven-
tum erit, non potius metuant, ne quid de illius
magntudine deterrent, quam eam se uerbis
exæquare posse confidant? Semper n. iustum
minuendi metū faciunt ea, quæ amplificandi
spem sua magnitudine sustulerunt. Vos exul-
tantem barbarorum audaciam conpressistis:
vos maria illis clausistis, nostris aperiuitis: uos
flamمام atq; ferrum, uos cædem, incendia,
rapinas, libidinem aChristianorum vita, tectis
fortunis, corporibus arcuistis: uos a templis sa-
cilegia, ab opidis direptionem, ab agris uasti-
tatem depulisti: per vos cruentata ac tepefa-
cta maria illorum sanguine redundarunt: per
vos vicina litora illorum aut sauciorum aut
morientium inconditis ululattbus per sonarū
vobis magistris didicit noster miles vincere,
barbarus vinci: vobis Christianorum alij vitam
debent, alij libertatem, omnes securitatem.
Durum, fateor, fuerat, audire, tam multa op-
pida a nefarijs latronibus capta, tam multa
incensa: tam multas regiones vastatas: abdu-
cta in seruitutem tam multa hominum millia:
sed si Christi potentia, si Christianorum for-
titudo aliter apud barbaras gentes illustrari,
quam

quam post tot acceptas calamitates, non poterat, prope est, ut exclamem, tanti fuisse. Certe quidem ut verni temporis clementia & amoenitas minus hilararent animos nostros, nisi eam hiemis rigor & asperitas ante cessisset: ita minus omnes huius victoriæ iucunditatē ac dulcedinem sentiremus, nisi eam cum superiorum temporum tristitia & acerbitate compararemus. Neq; vero eos tantum, qui ex illo nobis omnibus salutari prælio, re bene gesta, incolumes recuerterunt, omnibus maximis honoribus debemus afficere: sed eorum quoq; memoriam grato aīo amplissimisq; laudibus prosequi, quos in illo conflictu fortiter dimicantes, non tam vis hostium perculit, quam ille ipse pro quo pugnabant, sibi pigneratus est Christus. Qui si ut credibile est, prius Christiano ritu expiati ac culpis omnibus soluti, tunc vero in deum tantum intuentes, & in eo mente ac cogitatione defixi, vitam pro illius gloria proiecerunt, eodē temporis puncto, angelorum legionibus stipati, triumphantes in cælū euolarunt O vos beatissimos, qui sanguinem vestrum pro eo fudistis, qui prior ipse pro vobis suum sanguinem fuderat: qui mortem naturæ debitam, pro uitæ auctore potissimum reddidistis. Illi impij, quos tum concidebatis
& mori-

& mortem oppetierunt cum ignominia, &
mortui pœnas nunc ad inferos luunt: vos vero
& extremum spiritum victores cum gloria ef-
fudistis, & mortali conditione vitae in immor-
talitatem commutata, piorum estis æternam
sedem & locum consecuti. Beata vita quæ tali
morte conclusa est: beata mors, quæ tali uitæ
principium dedit. Sed ut ad te M Antoni mea
iam reuertatur oratio, neq; Pop. Ro. ignorat,
neq; vnquam ylla ignoratura est aut gens aut
ætas, huius immortalis gloriæ multo tibi
plus quā pro virili parte deberi. Tu iam inde
a principio, cum a sanctiss. Pontifice Pio V. hu-
ius saluberrimæ principi Christianorum con-
iunctionis fundamenta iacerentur, ad eam rē
ex ipsius sententia conficiendam, plurimum
laboris, operæ, auctoritatis contulisti. Tu cum
classi Pontificiæ summo cū imperio præfectus
esses, in Siciliam profectus, interea dum Io.
Austrius non mea tantum, sed omnium præ-
dicatione maior adolescens, cuius in totam
Christianorum classem summa erat auctoritas
ac potestas, eodem perueniret, & milites &
classiarios studiosissime exercuisti, & ut omni-
um rerum ad maritimum bellum necessaria-
rum copia suppeteret, perfecisti. Tu, quoties
de summa re deliberatum est, eas sententias
dixisti

dixisti, quæ summā prudentiam cum summa
animi excelsitate coniunctam indicarent. Tu
cum offensiones quædā interuenirent, quæ rē
in summum periculum adduxerant: iratorum
animis, sapientissime capto consilio, & graui
atque accommodata ad tempus oratione mi-
tigatis ac compositis, nascentis mali occasione
sustulisti. Tua cohortatione inflammati milites
ad pugnam exarserunt: tuum in ipsa pugna ex
emplum secuti, omnia pro Christo pericula cō-
tempsetunt. Peruenit ac perlatus est usque huc
tuarum immortalitate dignarum vocum sonus
optimis auspicijs geri quæcunque pro Christi-
ana religione gererentur: barbaricam audaciā
cedentibus instare, instantibus cedere, nostro-
rum & victoriæ & morti immortalem gloriam
propositam esse: illo duce atque auspice, cuius
brachia in cruce pandentis effigies e summo
regiæ triremis eminens nostros animaret, ter-
reret hostes: de secundo prœ lij exitu nemini
esse dubitandum. Audiui. audiui ipse de for-
tissimo viro, cuius eximia uirtus & sœpe alias,
& in hoc bello uel maxime spectata est. qui que
tuorum in hac expeditione consiliorum ac la-
borum particeps fuit, quam prœclarum tibi,
quamq; honorificum testimonium tribuerit
diuinus adolescens Io. Austrius postridie eius
diei quo

diei quo debellatum est: cum aperte prædi-
caret, tuum in hac sancta belli societate con-
flanda præter cæteros laborem ac studium: in
re gerenda, fortitudinem & alacritatem exti-
tisse te & committendi prœlij consuasorem, &
comparandæ uictoriæ adiutorem sibi præcipu-
um fuisse Quæ licet omnia magna & præclara
sint, multo tamen a te maiora, & præclariora
Pop. Rom. expectat. Properant M. Antonii
nostra omnium uota: quiq; animis præsentis
gaudij magnitudinem capere vix possumus:
rerum a te gestarum prœstantia, quasi quibus-
dam alis, sublati, cogitatione & spe multo iam
ulterius prouolamus. Non satis est impulisse
hostem: prosternendus & opprimendus est an-
tequam se nouis opibus copijsq; renouarit.
Extorquenda sunt uobis ex illius beluae fauci-
bus impioq; dominatu ampla illa & opima
regna, in quæ a Romano imperio distracta at-
que diuulsa, nullo iure, iniultissimus prosses-
sor inuasit. Tendit uobis Iudæa supplices ma-
nus: & palmas, quarum feracissima est, vestris
victorijs triumphisque despondet: obtestatur-
que uos per eum quem ex purissimæ mattis
utero mirabiliter exeuitem exceptit: cuius ue-
stigijs impressa, cuius admirandis operibus no-
bilitata, cuius sparso pro nobis omnibus sang-
uine

uine irrigata est, ne se diutius patiamini indig-
na Christi hostium seruitute oppressam teneri
Duce olim columna Iudæi ex dura ac diutur-
ra seruitute extracti sunt. Utinam nostris quo-
que temporibus Iudæa ipsa duce Columna ex
multo duriori multoq; diuturniori seruitute
extrahatur. Proditum est literarum monu-
mentis, imperante Constantini Magni filio,
visam esse in cælo sub specie crucis ingentem
columnam coronatam, quæ longe lateq; col-
lucens, à monte olivarum usq; ad eum mon-
tem, vbi Christus pro nobis omnibus morte
affectus est pertingeret. Declarandum est ti-
bi M. Antoni rebus ac factis, tam insigne pro-
digium ad te & ad gentem tuam pertinere.
An vero gentes quædam antiquis temporibus
propter violata maiornm sepulchra grauissi-
ma bella suscepereunt: nos Iesu Christi Domi-
ni ac Dei nostri sepulchrum monumentum sa-
lutis nostræ, pignus resurrectionis nostræ,
ab immundis canib. tandiu teneri eisq; ludibrio
esse patiemur? Itē potius optimis ominib. ge-
nerosæ ac fortes animæ: itē accensa diuinæ glo-
riæ studio pectora, continuare victorias: con-
nectite triumphos: inuidete posteris uestris glo-
riam eius terræ, ex qua salus nostra prodijt, ab
immanibus beluis receptæ ac recuperatæ. Vbi
melius

melius sanguis spargi potest? ubi melius uita
deponi? ubi verior ac solidior gloria cōparari?
O Christe, te appello. In tua manu bellum &
pax: in tua manu victoriæ: in tua manu regum
ac populorum corda sunt. Inspira nostris ardo
rem pugnandi, da eisdem vim facultatemq;
vincendi: immitte eam mentem principib. ac
populis qui nondum in hanc sanctam societa-
tem nomina dederunt, ut id primo quoque
tempore facere maturent: non quod tu, qui
omnia potes, aut eorum opera aut nostra ad
hostes tuos obterendos egeas: sed ut omnes
qui tuo nomine gloriantur, in partem aliquā
veniant eius gloriæ, quæ ex nominis ac cultus
tui propagatione capietur, & quando vrbem
Romam imperij sedem ac domicilium, eccle-
siam Romanam religionis firmamentum esse
vol. isti: da PIO Quinto pontifici, da po-
pulo Romano hoc munus, ut in hanc
potissimam vrbem, & ad hunc
potissimum pontificem partæ
tam nobilis victoriæ ali
quando nuntius
adferatur.

FINIS.

ULB Halle
002 629 992

3




(F) St. 2

AB 15 44 01

VDT7

flam si ex lege hereditas: iam
ex remissione. Abzahē autem p[ro]p[ter]e
omnem donavit d[omi]n[u]s. Quid igit[ur] u[er]o
ter transgressionē posita est: dona
nunt semī. cui remisat
p[ro]p[ter] anglos in manu mediatis. Ju
tor autem unius nō est d[omi]n[u]s autem
est. Lex ergo adūsus p[ro]p[ter]a
absit. Si enim data eēt lex quic[um]que
uuificare: uere ex lege eēt iustitia
conclusit scriptura omnia sub p[ro]p[ter]
ut p[ro]p[ter]atio ex fide ihu xpi dato
dennib[us]. **E**cce Respice dominū tuū
Aeterna.
Sicut in aliis dicitur
ulternus domino

Farbkarte #13



M. ANTONII i⁷⁰
M V R E T I
I. C. AC CIVIS
ROMANI
ORATIO

mandatu S. P. Q. R. habita in re^s
ditu ad urbem.

M. ANTONII CO.
LVMNÆ POST TVRCAS
nauali prælio uictos.

HABITA. EST. IN. CAPI.
TOLIO. IDIB. DECEMB.
M. D. LXXI.

ROSTOCHII
RECVSA M. D. LXXII.